

fuisse, qua et ipsi in fide vitæque Christiana proflorescent, et alios ad eandem verbo et exemplo provocarent, utque Deus omnia eorum opera secundaret pro omnem vitam, uti de facto fecit, fuit enim efficax hæc Christi oratio et benedictio. Adit noster Ludovicus de Ponte, modis de Ascensione, Christum ascendente discipulis faciem solito amabiliorem et radiantem exhibuisse. Formula vero benedictionis hæc usum esse: « Benedicat vos Dominus et custodiat. Ostendat Dominus faciem suam vobis, et miseretur vestri. » Hanc enim Deus præscripsit Aaroni, qui fuit typus Christi, Num. vi, 23. Aut hæc: « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, » etc., Joan. xvii, 11, 22, 24; aut simili. Porro Christi benedictio fuit efficax: quare discipulos replevit bonis illis celestibus, quæ benedicens illis apprecabatur.

*Tertio*, Christum sensim ascendisse: hoc enim significat *et* *cessit*, et *ferabatur*.

*Quarto*, Manichæi censabant Christum restitisse in celo solis, ideoque solem quasi numen adorabant, idque ex eo quod scriptum est *Psal.* xviii, 5: « In sole posuit tabernaculum suum. » Refert et ridet hoc S. Augustinus, tractat. 34 in Joan. Certum est Christum ascendisse super omnes cælos. Hoc enim asserit Apostolus, *Ephes.* iv, 10. Vide ibi dicta.

*Quinto*, de fide est Christum non tantum qua Deus est, sed etiam qua homo, ascendisse ad solium Dei Patris, ibique ad dexteram ejus quasi Dominum cœli et terre, angelorum et hominum considerare. Id enim docet Apostolus, *Coloss.* iii, 1; quia enim Christus se in cruce infra omnes creaturas humiliavit, hinc et meruit super omnes exaltari, *Philipp.* ii, 10.

*Sexto*, Christus sua morte cœlum ob peccatum Abæ et posterorum clausum reseravit; unde et primus eodem ascendit, hinc et secum duxit in triumphum omnes animas SS. Patrum et Patriarcharum, quos e limbo eduxerat. Hoc enim est quod ait *Psaltes*, *Psal.* lxxvii, 19, et ex eo *Paulus*, *Ephes.* iv, 8: « Ascendens in altum captivum duxit captivitatem. » Porro præcipui ex illis cum Christo resurrexerunt, ut patet *Matth.* xxvii, 53, ac consequenter in corpore glorioso cum Christo ascenderunt, quasi resurrectionis ejus primitiæ. Hoc est quod ait *Michæas*, ii, 13: « Ascendit enim pendens iter ante eos. »

*Septimo*, Christo per dolem subtilitatis cœlos penetranti, quasi Domino regique suo, occurrit tota cœlestis aula omnesque omnino angeli, ut docuit S. Cyrilianus, Epiphanius, Nyssenus, serm. *De Ascens.*, et alii, et satis colligitur ex illo, *Hebr.* i, 6: « Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terre dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei; » qui admirantes ejus gloriam interrogant: « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis

vestibus de Bosra? » etc., *Isaia* lxxiii; ac trifurphantibus cecinerunt: « Attollite portas, principes, vestras, et elevamini porte æternales, et introibit rex gloriæ, » *Psalms.* xxvii. Unde S. Augustinus, serm. 3 *De Resurrect.*: « Viderunt, inquit, cœlites cuncti speciosum vulneribus Christum, spolia e castris tyrânicis reportantem, et admirantes fulgentia divine virtutis vexilla, talibus conceperat hymnis deducuntque lætantes: Quis est iste rex gloriæ? » Hoc est quod jubilat *Psaltes*, *Psal.* lxxvii, 18: « Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in Sancto. » Et *Psal.* xlvi: « Omnes Gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram, etc. Ascendit Deus in júbilo: et Dominus in voce tubæ. »

*Octavo*, Beda, lib. *De Locis sanctis*, cap. vii, testatur solemnitatem hujus diei quotannis recurrentem, fuisse celestibus prodigiis, in eo loco quo Christus ascendit, illustratam. « Nam in die, inquit, ascensionis Domine per annos singulos, Missa peracta, valide flammis procella de sursum ventre consuevit, et omnes qui in ecclesia fuerint, in terram prosternere. Tota ibi ea nocte lucernæ ardent, ut non illustrari tantum, sed et ardere mons et supposita loca videantur: » de loco ascensionis dicam vers. 12.

Quæres, quibus de causis Christus mox post resurrectionem ascendit in cœlum. Respondeo: *Prima* est, ut suam legem et doctrinam confirmaret et ostenderet esse æternam. Se enim e cœlis descendisse, ut eam doceret, ideoque eo redire quasi unigenitum Dei Filium, juxta illud *Joan.* iii, 13: « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. » Unde S. Maximus, hom. 2 *De Pentec.*: « Sicut, inquit, aquila humilia deserit, alta petit, cœlorum vicina conscendit; ita et Salvator humilia inferni deseruit, paradisi altiora petiit, cœlorum fastigia penetravit. »

*Secunda*, ut cœlum hominibus peccato Adæ clausum reseraret, utque ostenderet regnum suum non esse terrenum et temporaneum, uti putabant discipuli, sed cœlestis et æternum: quod circa sequacibus suis terram et terrena omnia esse despicienda. Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 173 *De Temp.*, « cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro. Et ideo, si post medicum desideramus ascendere, debemus vitia et peccata deponere. »

*Tertia*, ut corpori ejus ita in terris humiliato et afflicto justam daret mercedem et gloriam: corporis enim gloriosi congruus propriusque locus est cœlum, non terra; hæc enim est locus inestimabilium et corruptibilitum. Unde S. Augustinus, serm. 107 *De Temp.*: « Noster, ait, hic Samson, ablatis portis imperio inferni et mortis, ascendit per turbinem in cœlum. »

*Protra*  
*ascensio*  
*ni*  
*ni*  
*ni*

*Cir*  
*ca*  
*ca*  
*ca*  
*ca*

*Quarta*, ut angelos sua præsentia et gloria exhilararet, ac cœlum exornaret; nam a lucerna ejus est Agnus, » *Apocal.* xxi, 23. Unde et ei acclamant: « Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, » *Apocal.* vi, 12. Adde, ut sederet a dextris Dei tanquam contubernalis Patri, a quo in hunc mundum missus fuerat, ait *Cœcumenius*, in cap. iii, vers. 21. *Præclare* S. Augustinus, serm. 37 *De Temp.*: « Quam mirifice, ait, mysterio noster Jesus Christus vel tactu corporis sui, vel transitu gloriæ suæ omnem ad momentum creaturam sanctificat, vivificat et illustrat? Aquas enim consecrat, dum baptizatur; terram sanctificat, dum sepelitur; mortuos suscitatur, dum resurgit; cœlestia glorificat, dum ascendit ad cœlum, et sedet ad dexteram Patris. »

*Quinta*, ut e cœlis mitteret Spiritum Sanctum nostramque causam jugiter apud Patrem ageret, ostendens et sacra sua vulnera. « Talis enim debebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus, » *Hebr.* vii, 26. « Sic cepit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longior, » ait S. Leo, serm. 2 *De Ascens.*

*Sexta*, ut S. Trinitati rationem suæ legationis in terra peractæ redderet, eique redemptione hominum peractæ honorem, lætitiæ et gloriam afferret. Unde S. Cyrilianus, serm. *De Ascens.*, asserit: « Nec linguæ hominum, nec angelorum, nec cujusquam acuminè ingenii definiri posse, quæ Patris in reditu Filii hilaritas fuerit: perinde ac si ulla ad immutabile illud gaudium esse accessio potuisset. » Et S. Epiphanius, orat. *De Ascens.*: « Christus, ait, ingenti gaudio triumphans, ovem humanæ nature humeris impositam Patri obtulit, atque pro tali munere munus Spiritus Sancti quod reddet, impetrat. » Et S. Chrysostomus, serm. *De Ascens.*: « Christus ascendens in cœlum nature nostræ primitiis obtulit Patri, et oblatum donum miratus est Pater, quod et tanta dignitas offerebat, et quod offerebatur, nulla macula foedabatur. Nam et suis manibus suscepti oblatum, et suæ sedis fecit esse participem, etc. Illa natura est quæ auditur: Terra est, et in terram ibis. » Et inferior: « Hodie angeli atque archangeli naturam nostram in sede Domine immortalis gloria fulgentem viderunt. »

Moraliter: Christus coram Apostolis et discipulis ascendit, quasi oculos et cor eorum (utinam et nostrum!) secum vehens in cœlum, docens nos *primo*, ut cum Apostolis oculis animi eum in astra sequamur, et mente in celestibus habitemus. Ipse enim est amor noster; ubi autem amor, ibi et oculus et cor. Quocirca Apostolus, *Coloss.* ii, 1: « Quæ sursum, inquit, sunt querite, ubi Christus est in dextra Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. » Patria enim nostra cœlum est, terra vero exilium et carcer; ita judicant

sentiantque anime sapientes et sancte. Christus ergo in fidelibus beatitudinis et regni cœlestis fidem solidavit, et spem acuit eo ascendendo: « Ubicumque enim fuerit corpus, illic congregabuntur et aquila, » *Matth.* xxv, 28. Et S. Augustinus, serm. 3 *De Ascens.*: « Nos, ait, Christi mors vivificavit, nos resurrectio erexit, nos ascensio consecravit. » Et S. Bernardus, serm. 2 *De Ascens.*: « Queramus, ait, quæ sursum sunt, quia illic profecto thesaurus noster est Jesus Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. »

*Secundo*, ut doceret nos quanti apud Deum meriti sit humilitas, eamque efficaciter nobis persuaderet. Nam, ut ait Apostolus, *Ephes.* iv, 10: « Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleat omnia. » Ita S. Franciscus per humilitatem ascendit ad Saraphinos, uti ex visione ejusdem Sancti testatur S. Bonaventura. Unde S. Bernardus, serm. 2 *De Ascens.*, « Neque enim, ait, ascendere potes nisi descenderis, quia ut eterna lego fixum est, omnis qui se exalbat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. O perveritas, o abusus filiorum Adam! quia eum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi et leviter ascendunt, et difficillius descendunt. »

*Tertio*, ut doceret heroica virtutum opera patrare et dura pati, etiam martyria, juxta illud Apostoli, *II Timoth.* ii, 10: « Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cœlesti; » quod explicans subdit: « Fidelis sermo: nam si commortui sumus, et convivemus; si sustinuerimus, et conregnabimus. » Deus Pater ergo exaltans Christum ad suam dexteram, nos « con-sedere fecit in celestibus in Christo Jesu, » ut ait idem, *Ephes.* ii, 6. Nam, ut ait S. Leo, serm. 1 *De Ascens.*: « Quia Christi ascensio nostra est provectorio, et quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis, dignis, dilectissimis, exultemus gaudiis et pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solum cives paradisi firmatissimi, sed etiam cœlorum in Christo superna penetramus. Idem, serm. 2: « Sursum vocatos animos desideria terrena non depriment, ad æterna prælectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illicebrae non retardant, et ita a fidelibus hæc temporalia decurrant ut perigrinari se in hac valle cognoscant, in qua, etiamsi quedam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. » Et superior: « Hanc fidem ascensione Domini actam, et Spiritu Sancti munere roboratam non vincula, non carceres, non exilia, non famas, non ignis, non laniant ferarum, nec exquisita persequuntur crudelitibus supplicia terruerunt. Pro hæc fide per universum mundum non solum viri, sed etiam femina, nec tantum impubes pueri, sed

*Quinto*  
*Christum*  
*ut*  
*ascendit*  
*ad*  
*de*  
*ram*  
*de*  
*tris*



beantur, eamque perpetim adorent, amant, glorificent.

Ita S. Martinus jugiter aspicebat cœlum eaque nota a cœteris dignosebatur, adeo ut vulgo cognominaretur *suscep cœli*. Unde et moriturus in ardente febre, supinus oculis in cœlum intentis præbat, eamque discipuli peremerat ut converso corpore tantum, dum remitteret vis morbi, prenis conquisceret: «*Sinite me, inquit, cœlum potius quam terram aspiciere, ut suo jam itinere, iturus ad Dominum spiritus dirigatur.*» Ita Sulpitius in ejus Vita.

S. Antonius in oratione pernoctans, in iisdem vestigiis consistentes, iisdem oculis sursum elatis solem orientem aspicebat, quibus occidentem aspexerat, ait S. Athanasius.

S. Magdalena non tantum oculis, sed et corpore toto quotidie septies ab angelis elevabatur in cœlum, ibique celestis melodia musicam audiebat, ut habet ejus Vita.

S. Maria Oigniacensis versabatur cum angelis et Sanctis in cœlo, ut eos inter se distinguere posset, quin et realiter ipsos Sanctos audiret cum iisque familiariter colloqueretur; de qua mira scribit Cardinalis Jacobus de Vitriaco, cap. VIII ejusdem.

S. Franciscus ita assidue et affectuose in cœlum spectabat, ut corpore in cœlum ascenderet: nimirum tanta erat vis amoris et desiderii, ut semet sursum attolleret molem corporis. Quocirca pingitur ipse pede globum terre calcans, oculis cœlum suspiciens eum hoc lemmate: «*Quæ sursum sunt, non hæc super terram.*»

S. P. Ignatius, fundator Societatis nostræ, solebat in solarium ascendere, unde libere in cœlum posset suspicere, ibique fixis in cœlum oculis ubertim lacrymans Deum adorare. Unde illa ejus vox: «*Quomodo sordet mihi terra, cum cœlum aspicio!*» Ita Ribadeneira, lib. V Vitæ ejus, cap. I.

hic Jesus, — qui vobis fuit critique semper Jesus, id est Salvator: «*cujus proinde mellifluum nomen jugiter in corde et ore gerite, dicentes: «*Jesu nostra redemptio, amor et desiderium, Deus creator omnium, homo in fine temporum, quæ te vicit elementa, ut ferres nostra crimina?*»*»

Sic venit quemadmodum vidistis eum euntem, — propria virtute, non aliena ope deductum, ait S. Chrysostomus.

In cœlum. — Tria hic Apostolus ingerunt angeli, tribusque de causis eis apparuerunt: primo, ut quod discipuli oculis corporis videre non poterant, scilicet Christum in cœlum pervenientem, verbis suis docerent ac confirmarent; secundo, ut Apostolos consolarentur, eosque instruerent, ut fide potius quam visu corporeo Christum intuerentur ac expectarent; tertio, ut significarent Christum ad immutabilem quemdam statum et æternitatis consortium ascendisse. Hoc enim est quod aiunt: «*Sic venit quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum,*» id est in eadem gloria et

majestate, et eum eadem anima et corpore, quæ nulla temporis duratione alterari poterunt aut mutari. Quæ verba ita ponderavit Irenæus, epist. 40 ad *Saynenses*, Chrysostomus et Beda, in *Acta*, et Tertullianus, lib. *De Carne Christi*, cap. XXIV, et lib. *De Resurrect. carnis*, cap. XXXI.

12. Tunc reversi sunt Hierosolymam, a monte qui vocatur Oliveti, — ab oleis et olivis, quibus consitus et fertilis est, uti juxta Romanam mons Tiburtinus. Hinc patet Christum e monte Oliveti in cœlum ascendisse. Unde alibi hic mons sanctus et inelytus vocatur. Videtur huic alluisse Zacharias, cap. XIV, vers. 4, cum ait: «*Stabant pedes ejus in die illa supra montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem.*» Vide ibi dicta. Sed cur inde? Respondeo: Primo, quia ibi inchoavit passionem, dum in hortu orans sudavit aquam et sanguinem, moxque a Juda proditus, captus, ligatus et protractus est ad Annam et Caipham; ibi ergo pariter decuit eum finire et coronidum imponere passioni suæ et vitæ terrenæ; ut ubi penam injuste sustinuit, ibi et justitia innocentiæque ejus declararetur et glorificetur. Ecce rursum, ut instrumenta et loca passionis Christi ei vertuntur in gloriam et triumphum.

Secundo, quia in hoc monte sæpe Christus oravit et pernoctavit, ut patet *Luce* cap. XXI, XXII et XXIII, æque ac David fugiens Absalonem, III *Reg.* cap. XV.

Tertio, ut in conspectu impiorum et Judaice Jerusalem, quæ eum depresserat et occiderat, gloriosus ascenderet, itaque abolito judaismo Christianismum sanciret et illustraret. Mons enim Oliveti tante altitudinis est, ut ex eo omnes pene plateæ Jerusalem (quin et mare mortuum) conspiciantur.

Quarto, quia olivum et oleum symbolum est gratiæ et misericordiæ, quam Christus nobis in hoc monte patiens et ascendens impendit. Hinc pariter in hoc loco iudex considerabit, cum in fine mundi redibit ut iudicium universale prægat. Hoc enim futurum est in valle Josaphat, quæ subjacet monti Oliveti, et exiguo spatio inter eum et urbem Jerusalem interjacet, ut Judæi infideles et impii, qui passionis et ascensionis ejus oleum et mel spreverunt, ibidem sentiant gustentque acetum et fel ire ipsius et vindicte.

Quinto, quia mons Oliveti, æque ac oliva symbolum est Ecclesiæ et Sacerdotum. Oliva enim symbolum est pacis, concordie, modestiæ, obedientiæ, elemosynæ, splendoris, æternitatis, quæ dotes omnes competunt Ecclesiæ et Sanctis, ut ostendi *Jerem.* XI, 16, et *Zachar.* XIV, 4, et *Apoc.* XI, 4.

Nota tria continua miracula quibus in monte Oliveti Deus illustravit Christi ascensum. Primum, Christus ad sui suæque ascensionis monumentum, huic monti petroso instar cere impressit, et impressa reliquit sacerdotum pedum suorum vestigia, quæ nulla ratione tot sæculis deleri poterunt, ibique etiamnum intet

Christus ex monte Oliveti ascendit, quæ? Prima causa.

Secunda.

Tertia.

Ad omnes causas et tres causas.

visuntur, cum tamen peregrini devotionis causa eorundem, ut terræ a Christi pedibus quasi sacrate particulas quasi reliquias secum auferant. Ita S. Hieronymus, in *Lectis Hebræis*, S. Paulinus, epist. 11 ad *Socrum*; Sulpitius, lib. II *Hist. Sacræ*; Beda, *De Locis sanctis*, cap. VII, recentiores Geographi, ac peregrini terræ sanctæ. Porro hæc Christi vestigia conversa sunt ad Occidentem, et versus Catholicam ex Gentibus Romanam spectant Ecclesiam, ad quam ipse ejus caput, tanquam geminos et illustres oculos, S. Petrum, suum in terris Vicarium, et S. Paulum, doctorem Gentium missurus erat. Ita Adrichomius et alii, in *Descript. Jerusalem. Secundum*, locus ille et quo Christus ascendit, nunquam se tegi, aut marmore paviri ornari que passus, semper excussis, solo resonante, quæ manus humana adornandi studio tentabat apponere, uti testatur S. Paulinus jam citatus. Tertium, eodem in loco postea templum rotundum et magnificum, in honorem ascensionis eius erectum a S. Helena, matre Constantinii Imperatoris, quod in se includebat Christi vestigia, cuius tectum ea parte quo Christi corpus ascendit, nunquam contegi et concamerari potuit, sed transitus ejus e terra ad cœlum usque manet apertus, uti Rome videmus in Pantheo. Ita S. Hieronymus et Beda loco jam citato. Adde quartum flammis et venti, quod verbis Bedæ recensui vers. 9.

Porro, S. Athanasius, vel potius Anastasius (nam *Quæst. III* et VIII citat Epiphanium et Nysenum, qui S. Athanasio fuerunt posteriores), in *Quæst. sanctæ Scripturæ*, *Quæst. XXXVII*, docet ideo Christianos adorare Deum et Christum convertendo se ad Orientem, quia Christus ascendit in monte Oliveti, qui est ad Orientem Hierosolymæ. Affert ibidem duas alias rationes. Prior est, quia in Oriente oritur sol: unde ibidem non solem, nisi veteres Romani et Gentiles, sed Deum solis auctorem, et cum sole nobis quasi affulgentem veneramur et invocamus, ut lucem diemque totam nobis prospere. Posterior, ut memores paradisi, qui erat in Oriente, *Genes. XXVIII*, juxta Septuaginta, ex quo per peccatum excidimus, rogemus eo restitui.

Denique multi opinantur Antichristum Christum, jusque ascensionis et gloriæ æmulum, in monte Oliveti demonum ope elevandum in altum, ut in cœlum videretur consendere, sed siderabit enim Christus spiritusque oris sui interficiet, II *Thessal.* II, 8.

SABBATI HABENS ITER, — id est distans a Jerusalem tanto spatio, quantum Judæis in sabbato licebat proficiscendo conficere (Judæis enim tanta religione præceptum erat sabbatum, ut capessere non liceat iter nisi modicum, uti liquet *Exodi* cap. XVI, vers. 29), quod multi censent duorum fuisse milliario. Milliare est spatium mille passuum; Syrus verit, *septem stadiorum*, id est 770 passuum. Verum minus fuisse hoc iter liquet

tum ex Josepho, qui lib. VI *Belli*, cap. III, asserit Jerusalem a monte Oliveti distare stadiis quinque, ab ejus vero culmine sex: stadium autem æquivalere 125 passibus, quinque ergo stadia faciunt 625 passus; tum ex S. Hieronymo, epist. 131 ad *Algasiam*, *Quæst. X*, ubi ex R. Akiba, Simson et Hillel, iter sabbati definit esse ambulacionem bis mille pedum: ubi per pedes non passus, ubi volunt nonnulli, sed pedes, ut vox sonat, accipit: jam quinque pedes conficiunt passum; ergo bis mille pedes faciunt 400 passus; tum ex Origene apud *Œcumenium*, qui ait iter sabbati esse milliare duorum milliium cubitorum, cubitus est pes cum dimidio: duo ergo millia cubitorum faciunt tria millia pedum, quæ faciunt passus 600; tum ex Wilhelmo, Archiepiscopo Tyri, qui lib. VIII *Belli sacri*, cap. XI, ait montem Oliveti milliario distare ab urbe Hierosolyma.

Favet huic sententiæ, quod Josue, III, vers. 3, jussit, ut populus in aciem progrediens, ab arca distaret spatio duorum milliium cubitorum: quia scilicet hoc erat iter sabbati, quod quovis die, etiam sabbato, Levite conficere poterant, et ad arcam, cum opus erat, accedere, quod accidit ad sententiam Josephi, qui numerat passus 625 a Jerusalem usque ad radices montis Oliveti, sed usque ad culmen ejus, ex quo Christus ascendit, numerat sex stadia, quæ faciunt passus 750. Iter ergo sabbati est medium milliari Italico, et insuper 200, vel 150 passus. S. Chrysostomus ad *Colossenses* putat addi, eo quod Christus ascenderit die sabbati, q. d. Esto Christus ascenderit die sabbati, tamen licet illi cum Apostolis ire eo die in montem Oliveti, quia illud iter exiguum est, et in sabbato permissum. Verum certum est Christum ascendisse feria quinta, sive die jovis. Si enim a Paschate numeres dies 40, incidet in diem jovis: Christus autem quadragesimo die a resurrectione sua ascendit.

Porro quo mense, quoloque ejus die Christus ascenderit, non constat, et variant Doctores, quia variant in consignando die passionis Christi et paschate. Multi enim opinantur Christum passum esse et mortuum in aprilis, alii die 16, alii 2, alii 3; plures in martio, alii die 7, alii 23, alii 30. Communior sententiæ est S. Augustini, lib. XVIII de *Civitate Dei*, cap. ult.; Tertulliani, lib. *Contra Judæos*, cap. VIII; Chrysostomi, serm. *De Nativitate S. Joannis Baptistæ*; D. Thomas, in cap. II *Joannis*, Antonini, Platina, Usuardi et Suarez, III p., disp. XI, sect. 5, Christum passum esse et mortuum die 23 martii, sicut eadem die incarnatus est; ac consequenter resurrexisset 27 martii, ascendisse in cœlum quinta maii, misisse Spiritum Sanctum 15 maii. Idem disertè affirmat Lucius Dexter, præfectus prætorio, in *Chronico*, quod ipse dedicavit S. Hieronymo, uti vicissim eidem dedicavit S. Hieronymus tract. *De Script. Eccles.* I quod *Chronicon* a Baronio et aliis multis studiosè quæsium, tandem post Baronii mortem nuper repertum et æ

Christus ascendit die quarta.

tum est, de quo plura dixi in fine Chronotaxos. Favet *Martyrologium Romanum*, quod 23 martii consignat diem obitus S. Latronis, puta S. Dismæ, hic enim cum Christo crucifixus est eodem die et loco.

13. ET CUM INTROISSENT IN COENACULUM, ASCENDERUNT. — Ita dispungunt Romana. Sed ex Greco liquet aliter esse dispungendum, et comma ponendum post *introissent*, non post *coenaculum*. Sic enim habet Grecus: Καὶ ὅτε εἰσῆλθον, ἀνέβησαν αὐτὸν εἰς τὸ ὑψίστερον, ὃ ἴσταν καταλύειν, ὃ τὸ Πνεῦμα καὶ Ἰακώβου, etc., id est: Et cum introissent, scilicet urbem vel potius domum, ascenderunt in superiorem domus partem, ubi erant manentes et Petrus et Jacobus, etc.; quæ lectio perspicua est et clarum dat sensum. Veteres enim Hebræi, æque ac Romani debebant in superiore parte domus, ibique aulas habebant amplas ad convivia, cœtus et cœnas, quas proinde cœnacula vocabant (1). Cujus hæc domus et cœnaculum fuerit, non constat. Nicephorus, lib. I. *Histor.*, cap. XXVIII, et Cedrenus putant fuisse S. Joannis Evangelistæ; Theophylactus, in *Math.* XXVI, censet fuisse Simonis leprosi; Euthymius ibidem ait fuisse Josephi ab Arimathia, Nicodemii, aut similis viri potentis et Christiani. Probabilis Baronius, anno Christi 34, censet fuisse domum Mariæ, matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, fuitque consobrinus Barnabæ, quo Petrus e carcere liberatus se contulit, ubi et ceteros discipulos ad preces collectos reperit. Idem etiam testatur Alexander in *Vita S. Barnabæ*: « In illo cœnaculo, inquit, Dominus pascha fecit, in illo apparuit Thomæ Apostolo, cum a mortuis surrexisset; illic, postquam in cœlis assumptus est, discipuli cum reliquis fratribus centum viginti, in quibus erat Barnabæ et Marcus, ex monte Olivarum convenerunt; illic Spiritus Sanctus in linguis igneis ad discipulos descendit in die Pentecostes. Illic collocata nunc est magna et sanctissima Sion, ecclesiarum omnium maxima. » Meminit ejusdem ecclesie in Sion positæ S. Hieronymus, *epist.* 27, et Beda in *Locus sanctis*, cap. III, adduntque in eadem positam fuisse columnam, ad quam ligatus et flagellatus est Chris-

(1) Ἰσταν, subintellecto εὐχέλεια, superiores ordines denotant partes, superiora cœnacula dicitur cum Plauto, *Amphitru.* act. III, sc. 1, vers. 3. Opponuntur ἐν ὑψίστου, Attici, ut auctor est Moeris, *δῆμοι*, dicunt. Erat enim consuetudo Judæorum, ut, si vacare vellet religioni, precari, meditationibus rerum divinarum incumbere, aut cum aliis de leg. divina colloqui, in summam conclavæ se conferret. Atque, quos inter Iudæos de Deo, per ὃ ὑψίστερον hic intelligunt cellam superiorem in templo Hierosolymitano, quæ κατ' ἕξιν appellata sit Ἰσταν; conf. Josephum, *Antiq.* VIII, III, 3; XI, v, 4. Hanc sententiam confirmare quidem videntur loci *Act.* II, 46; XVII, 53; sed, ut alias sileam difficultates, vix credibile est, ut recte animadvertit Quinocel. Apostolos, homines pauperes, et Galilæos, Judæisque ob Magistrum invidios, aus. esse quicquam facere, præter aliorum consuetudinem, in templo, in quo a Sacerdotibus et Levitis observari poterant.

tus. Illic liquet cœnaculum hoc fuisse in monte Sion, juxta arcem David. Addit Adrichomius, in *Descript. Jerusalem*, n. 6: « In eodem cœnaculo prima Petri concione ter mille Judæi conversi et baptizati sunt. Ibidem Jacobus, frater Domini, cognomento Justus, primus Hierosolymorum Episcopus ab Apostolis est creatus, atque Stephanus et reliqui sex Diaconi sunt ordinati; ibidem Apostoli primum celebrasse Concilium, *Act.* XV, et in sua divisione, Apostolicum catholice fidei Symbolum edidisse videntur. Eodem loco S. Helena amplissimum extruxit templum, in cujus postico cœnaculum circumclusit; postea in hoc cœnaculi loco edificatum est monasterium Franciscanorum, etc. Turcæ ex eorum monasterio palatium sibi fecerunt, locumque hunc in tanta habent veneratione, ut non nisi discaleari eum intrent. »

PETRUS. — Petrus hic et alibi passim ab Evangelio primus nominatur, quia primas Ecclesie et caput Apostolorum. Ita S. Chrysostomus et alii passim.

JACOBUS ALPHEI, — scilicet filius, qui cognominatus est Justus, fuitque primus Episcopus Hierosolymorum, cujus festum celebrat Ecclesia die 4 maii. Prior enim Jacobus, frater Joannis, fuit filius Zebedæi.

SIMON ZELOTES, — id est Cananeus; Hebræus enim *צ'פ'אנא* significat *zelari*: inde Cananeus idem est quod zelotes. Ita Gagneus. Addit Baronius, eum ita dictum a patria, scilicet a Cana Galilææ; unde cum Nicephoro, lib. VIII, cap. XXX, opinatur hunc Simonem fuisse sponsum in nuptiis in Cana Galilææ, *Joan.* II, 1, a quibus Christus eum avocavit ad apostolatam. Quidquid sit de sponso, videtur plane hic Simon dictus Cananeus a Cana patria; sed quia Cananeus hebraice idem est quod zelotes, idque congruebat Simoni, utpote qui zelo fervebat, ait S. Hieronymus, *epist.* 53 ad *Riparium*; hinc pariter Zelotes est cognominatus, æque ac Cephas dictus est Petrus, quia *petra* Ecclesie: perinde ac si S. Gregorius indigetates Vigilantium; Theodorum, Deo datum; Phrontiseum, Prudentium. Sic Roma primitus vocata fuit *Valentia*; *Ρωμη* enim grece vocatur urbe, quo pollebant Romani: ita Plinius, lib. III, cap. V, et Solinus Polyhistor, cap. I.

JUDAS JACOB. — Supple, *frater*. Hic Judas alio cognominatur *Thaddeus*, quasi mammeus: *tad* enim syriaco idem est quod hebr. *ט'דא*, id est *in mamma*; alibi *Lebbeus*, id est *corculum* (Hebræis enim *לב* *leb* est *cor*), sicut Scipio Nascia appellatus est *corculum*, ob eximiam sapientiam, teste Cicerone, *Tuscul.* I; aut *leuculus* (hic enim vocatur *לב* *lebi*). Erant ergo hi quatuor fratres, scilicet Jacobus, qui dicitur Minor, vel Alphæi, vel frater Domini; Joseph, Simon et Judas, *Math.* XIII, 55; *Marc.* XV, 47: omnes *ο'σ'σ'α'ι* *ο'σ'σ'α'ι* Christi, e quibus tres in Apostolos elegit, Jacobum, Simonem et Judam. Ita censent *multi*;

sed hoc discutendum *Math.* cap. XIII, vers. 55. Cetera quæ de vocatione, ordine, officio, dignitate, vita Apostolorum dici nosset, spectant ad cap. X *S. Matth.*

14. HI OMNES ERANT PERSEVERANTES UNANIMITER IN ORATIONE. — Nota hic tres virtutes quibus vacarunt Apostoli, ut se disposerent ad adventum Spiritus Sancti: *prima*, est oratio, *secunda*, unanimitas, *tertia*, perseverantia. Hæ enim ad se provocant et alliciunt Spiritum Sanctum, utpote divine eique charissimæ. Adde quartam, familiaritatem et devotionem erga B. Virginem, de qua sequitur: « Cum mulieribus et Maria matre Jesu. » Hæc enim, cum sit Dei Patris filia, Filii Dei mater, Spiritus Sancti sponsa, quidvis obtinet. Quid enim non impetret filia a patre, mater a filio, sponsa a sponso? Nota: Pro *perseverantes*, grece est *σπαραγγελοειτες*, quod significat esse assiduum, perstare, insistere rei cupiam arduæ et prolixæ, nec ab ea discedere, sed sustinere et fortiter superare molestias, labores, fatigationes, tedta, tentationes, etc., que vel rei difficultas, vel hostis sagacitas, vel nature imbecillitas suggerit, quæ experiri in oratione, presertim longa et continua, quæ mens humana instar arcus tenditur et continue extenditur ad cœlestia et divina.

CUM MULIERIBUS, — quarum antesignana et princeps in amore et fervore erat S. Magdalena.

ET MARIA MATRE JESU. — Quasi matrefamilias hujus sacri coetus et familie Christi. Christus enim paterfamilias abiens in cœlum, idcirco in terra reliquit amantissimam matrem, ut loco sui esset quasi mater Apostolorum omniumque fidelium. Miratur S. Bernardus eam hic ultimo loco poni: « Itane, ait, et mulierem sese ultimam loco poni? ut novissima omnium poneretur? » Causam dat: « Cum Maria quanto major erat, humiliaret se non modo de omnibus, sed et præ omnibus. Merito facta est novissima prima, quæ cum prima esset omnium, sese novissimam faciebat. Merito facta est omnium domina, que se omnium exhibebat ancillam. Merito denique super angelos exaltata est, quæ et infra viduas et penitentes, infra eam de qua ejecta fuerant septem daemonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat. Obsecro vos, filii, rememini hanc virtutem, si Mariani diligitis, si com'aditis ei placere. » Ita ipse, *serm. De verbis Apoc.* XII, « Signum magnum. » Hisce consonant elliges B. Virginis, quam ex antiquis imaginibus et ex Epiphania ita pingit Nicephorus, lib. II, cap. XXII: « Mores autem, formæque et stature ejus modus talis (ut inquit Epiphanius) fuit: Erat in rebus omnibus honesta et gravis, pauca admodum eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis et perquam affabilis, honorem stum et venerationem omnibus exhibens: statura mediocri, quamvis sint qui eam aliquantulum mediocrem longitudine excessisse dicant. Decenti dicendi libertate adversus homines omnes usa

est, sine risu, sine perturbatione et sine iracundia maxima; colore fuit triticum referente, capillo flavo, oculis acerbis, sublavas tanquam oleæ colore pupillas in eis habens; supercilia erant et inflexa et decenter nigra, nasus longior, labia florida et verborum suavitate plena; facies non rotunda, nec acuta, sed aliquantulo longior, manus simul et digiti longiores. Erat denique fastus omnis expertus, simplex minimeque vultum fingens, nihil molliæ seum trahens, sed humilitatem præcellentem colens; vestimentis, quæ ipsa gestavit, coloris nativi contenta fuit, id quod etiamnum sanctum capitis ejus velamen ostendit. Et ut pauca dicam, in rebus ejus omnibus multa divinitus inerat gratia. » Simili ergo modo Lucas hic ponit pingitque B. Virginem, talem, qualis ipsa in se erat, qualemque se exhibebat: minimam, quia ut minimam se gerebat; novissimam, quia novissimam se exhibebat. Hoc imitatio sunt sanctæ matres familias, ut S. Monica, quæ erat serva servorum tuorum, o Domine, etc. Ita curam gessit, quasi omnes genuisset; ita servivit, quasi ab omnibus genita fuisset, ait S. Augustinus, lib. IX *Confess.* cap. IX. Et S. Paula, de qua Hieronymus in ejus *Epitaph.*: « Quæ prima, ait, Christianorum virtus est, tanta se humilitate deiecit, ut qui eam non vidisset, et pro celebritate nominis vidisse gessisset, ipsam esse non crederet, sed ancillularum ultimam. Et cum frequentibus choris virginum cingeretur, et veste, et voce, et habitu, et incessu manima omnium erat. »

ET FRATRIBUS EJUS, — puta cognatis tam Jesu, quam Mariæ; hos enim Hebræi vocant fratres. Hi ergo cognati fuerunt fideles, et crederunt in Christum. Unde junxerunt se Apostolis, et eum eis expectantur Spiritum Sanctum.

15. IN DIEBUS ILLIS EXURGENSE PETRUS. — Est hic altera pars capituli, quæ Lucas enarrat surrogationem Matthiæ in locum Jude. Incipit hic Petrus fuppi suo officio et primata, primumque ejus actum exercet; nimirum curat collegium Apostolicum Jude lapsu imminutum, per alterius Apostoli surrogationem instaurari et compleri. Sciebat enim non tantum fidelium, sed et Apostolorum sibi, quasi præsidi et primati, curam a Christo commissam, cum ab eo audivit: « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, » *Luc.* XX, 32. Hanc pastorem vigilemque Petri sollicitudinem admirans S. Chrysostomus, *homil.* 3: « Quam, inquit, est fervidus, quam cognoscit creditum sibi a Christo gregem? quam in hoc choro princeps est, et ubique primus omnium incipit loqui? » Et inferius: « Primus omnium auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habet in manu. Ad hunc enim dixit Christus: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. » S. Chrysostomus sequitur *Cœcumenus*: « Surgit, ait, Petrus, et non Jacobus, tanquam ferventior et velut is cui discipulorum presidencia commissa est. » Id significat vox *exurgens*, nimirum primo, quasi

tu gna-  
que doct-  
Petri.

ceteris emines, et statu graduque excelior. *Secundo, exurgens*, ut quasi concionatorus acturusque de republica totius collegii et Ecclesie, attentionem auditorum excitaret, mentesque, vultus et aures omnium ad se evocaret, accommode faciteque a singulis audiret. *Tertio, exurgens* significat pastorem vigilantiam Petri, utpote qui quasi pastor erectus stet, et totum gregem circumspiciat et circumlustret. *Quarto*, significat nimis confidentiam et celsitudinem, quod quasi Vicarius Christi audeat ejus officio se ingerere, imo succedere, ac ceterum Apostolorum ab eo inchoatum supplere et perficere. *Quinto*, modestie studio exurgendo toti ceteri Apostolorum et Ecclesie honorem exhibuit, eumque salutavit ac præsertim B. Virginem, quae præsens aderat, inquit S. Chrysostomus. Sic preceptor ipchoaturus lectionem, surgit et salutat discipulos.

In medio. — Symbolice vox *medium* notat auream mediocritatem, qua pastor et prelator debet præcellere, ut inter subditos, qui disparis, imo contrarii sunt humoris, iudicii, voluntatis, versetur quasi medius, ut in nullam partem affectu snoque favore inclinet, sed omnibus se indifferentem, benevolum et amicum, imo patrem exhibeat, itaque omnes, licet inter se diversos, in se nectat et uniat, sicut caput in se unit omnes sensus membraque hominis. Vide dicta *Habacu* cap. III, vers. 1. *Secundo*, «in medio» innuit modestiam qua S. Petrus, licet ceteris superior, inter eos tamen se gerebat quasi fratre, potius quam pater, secutus exemplum Christi, cujus erat Vicarius, qui ait, *Luc. xxii, 27*: «Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.» Aurea est gnome S. Bernardi: «Si sis egregius, esto quasi unus e grege.»

Poterat enim S. Petrus solus, uti docet Chrysostomus, successorem Iudae eligere et Apostolum duodecimurum designare; sed noluit, tum ut ostenderet se non dominari in clericis, sed modesti regimini dare et initiare exemplum; tum ut majus pondus adderet electo, majoremque ei amorem et reverentiam conciliaret, utpote qui ceterorum calculo fuisset electus; tum denique ut Dei voluntatem in tanto negotio, per Ecclesie suffragia sortisque exquireret. Constituerunt enim Apostolum proprium videbatur esse Dei. Quocirca Summi Pontifices, S. Petri exemplo, non facile quippiam majoris momenti, præsertim circa res fidei definiunt, nisi ex consilio et decreto *Veseporianorum*, ad id e toto orbe congregatorum in Concilio *Ecumenico*. Spiritus Sanctus enim *plex* planeque assistit capiti Ecclesie; quando *Rud* suis membris totique corpori (quod Episcopi representant) conjungitur. Tota enim Ecclesia est sponsa unica, uniceque dilecta Spiritus Sancti. Hinc rursus precise temporibus si duntaxat ordinantur Episcopi, quos populus postulasset, et ipsi populo chariores, et ipse populus eis charior esset. Audi S. Leonem, *epist. 87* vel 89:

«Expectarentur vota civium, electio clericorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum; quae in sacerdotum solent ordinationibus, ab his qui norunt Patrum regulas, custodiri.» Populi ergo competeabant vota. id est desideria et testimonia, clericis autem solis jus eligendi.

ERAT AUTEM TURBA HOMINUM. — Graeco *ὄχλος*, id est *nominum*, hoc est capitum quae nominatim censentur. Est metonymia. Similis est *Apoc. III, 4*: «Habet pauca nomina,» id est capita et homines, «in Sardis.» Vide ibi dicta. Scribit Climacus ex hisce 120, in quos delapsus est Spiritus Sanctus, prodixisse quatuordecim haeresiarchas. Climacus citat noster Salmeron in illud *I Joan. II, 19*: «Ex nobis prodierunt, sed ex nobis non erant;» sed in Climaco idipsum hucusque non reperit. Sane S. Paulus, *xx, 30*: «Ex vobis ipsis, inquit, exurgunt viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.» Tanta est hominum, etiam sanctorum, infirmitas, inconstantia, vanitas.

16. VIRI FRATRES. — *Primo*, S. Petrus Apostolos vocat *fratres*, quia omnes Apostoli in Apostolatu erant pares et quasi fratres, isto ipse eorum esset praeses. Sic Pontifex Cardinales et Episcopi vocat fratres. *Secundo*, ceteros omnes fideles vocat fratres cognatione, non carnis, sed fidei regeneratione, baptismi, non uteri. Fratres ergo, id est Christiani. Sic omnes Christianae vocabantur et vocabantur se invicem sorores. Sic Paulus in Epistolis passim fideles vocat fratres et sorores. Ratio est, quia Christus instituit Ecclesiam quasi familiam suam, in qua voluit fidelis sibi invicem esse conjunctissimos et se invicem amare ut fratres, habentes eundem patrem Christum, et eandem matrem Ecclesiam eundemque uterum baptismi; eandem domum, scilicet templum, eandem mensam Eucharistiae, eandem educationem, eandem Sacramenta, eandem patriam caelestem, etc. Vox ergo *fratres* notat summam fideliarum conjunctionem et communicationem mutuanam bonorum omnium. Nam, ut ait Aristoteles. *lib. VIII Ethic.*, cap. XI: «Fratres communes sunt parentes, uteris, sanguis, ortus, educatio, domus, generis claritas, res familiaris, patrimonium, disciplina, mores.» Quocirca merito Psaltes jubilat, *Psal. cxxxii*: «Ece quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! Sicut unguentum in capite,» etc. Audi Tertullianum, *Apolog.*, cap. xxxix: «Quod, ait, fratres nos vocamus, non alias, opinor, infamant, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectione simulatum est. Fratres autem etiam vestri sumus (o Gentiles) jure naturae matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres et dicuntur et habentur, qui unum patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiae ejusdem ad unam lacum expaverunt veritatis?» etc. «Ex substantia familiari sumus fratres, quia omnes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque

quia animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indiscreta sunt apud nos praeter uxores.» Et Minutium, in *Octavio*: «Fratres, inquit, vocamur, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei coheredes.»

QUI FUIT DUX, — non ut capitaneus, sed ut dux viae: hunc enim proprie significat Graecum *ὁδηγός*. Unde Pagninus vertit, *dux itineris*; Vatablus, *commonstrans viam*.

17. SORTITUS EST SORTEM. — *q. d.* Judas quasi sortito, vel sorte obtinuit sortem, id est partem, puta duodecimurum locum ministerii, hoc est, apostolatus nostri. Nota: Apostolatus hic vocatur sors, quia Apostolis singulis haec dignitas obvenit non ex natura, non ex prosapia (ut posteris Aaronis primogenitis obvenit pontificatus ex jure primogeniturae), non ex jure, non ex merito, sed ex mera Dei dignatione et gratia, qui sine ullis eorum meritis, hosce duodecim ex tot millionibus hominum selegit, vocavit et cooptavit in suos legatos et Apostolos ex suo beneplacito, ita ut ex parte Dei fuerit destinata voluntas et decretum eligendi hos, non alios; ex parte vero Apostolorum fuerit casus et sors felicissima; perinde ac si Deus super eis jecisset aleam ejusque jactus felix incidisset in ipsos: quia ipsi ad Apostolatum nullum habebant jus, meritum, gradum et ordinem. Simili modo Saul sorte ex agasone, et David ex opilione factus est rex. Sic quisvis fidelis sorte, id est gratia, non merito, vocatus est ex infidelitate et peccato ad fidem et cultum Dei, juxta illud Apostoli: «Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine,» *Coloss. I, 12*. Et: «In quo etiam et nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae,» *Ephes. I, 11*. Fidelis ergo non superbiat de sua fide, nec justus de sua justitia, nec Episcopus de suo episcopatu, nec Apostolus de suo apostolatu, quia haec bona sors ei oblitigit non ex ipsorum dignitate, sed ex mera Dei gratia et liberalitate, qui eos ad illam, infinitis aliis iisque nobilioribus, doctioribus, melioribus, aptioribus, etc., pretermisiss, eligere et vocare dignatus est.

Hinc liquet Judam non tantum apostolatus gradum, sed et ministerium participasse, ac consequenter evangelizasse, expulisse demones, fecisse miracula, perinde ut fecerunt ceteri Apostoli a Christo missi per Judaeam et Galileam. Ita S. Augustinus, *lib. III Contra Iulianum Petilianum*, cap. LV; Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi 7*; S. Leo, *serm. 16 De Passione Domini*. Addit Nazianzenus, in *Christo patiente*: «Quod doctrinae suae verbis multos genios filios.» Fuit ergo primitus ipse non tantum sanctus, sed et zelo praedicationis suae sanctificans alios, donec procurator a Christo constituitur, loculos habere et amare coepit, indeque effectus est fur et proditor Christi. Ita Tertullianus, *lib. De Anima*, cap. IV, et alii.

Pro sorte Graece est *κλήρος*: unde Clerus et Clerici vocati sunt, qui segregati a laicis, quasi Domini sors et hereditas, deputati sunt peculiari ejus cultui et Ecclesie obsequio ad procurandas res sacras. Hinc quando Clerici creantur ab Episcopo et tonsuram clericalem accipiunt, audiunt discuntque ab eo quotidie dicere illud *Psal. xv, 8*: «Dominus pars hereditatis meae et calceis mei: tu es qui restitues hereditatem meam mihi.» Sicut enim olim Levitae nullam habebant hereditatem inter fratres suos, sed Dominus, id est Domini oblationes et victimae, erat eorum hereditas. *Nam. xviii, 6 et 23*: ita in novo Testamento Clericorum sors est Deus Deique cultus et obsequium, ut proinde discant non ambire bona in terra, sed in caelo. Quocirca S. Hieronymus, ad *Neptolamum*: «Clericus, ait, interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur. Si enim *κλήρος* Graece, vel sors Latina appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars Clericorum est.»

Tropologicae: disce hic nullam esse tam sanctam sodalitatem, quam non habeat suam faciem suum nomen. Quid mirum? Christus in suo caetu in sua familia habuit Judam. Audi S. Augustinum, suum monasterium purgantem a scandalo quod in eo acciderat, *epist. 137*: «Quantumlibet, ait, vigile disciplina domus mese, homo sum, et inter homines vivo; nec mihi arrogare audeo, ut domus mese melior sit quam arca Noe, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus est; aut melior sit quam domus Abraham, ubi dictum est: Ejice ancillam et filium ejus; aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui; aut melior sit quam domus Iacob, ubi locum patris filius incestavit; aut melior sit quam domus ipsius David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contra patrem tam sanctam mansuetudinem rebellavit; aut melior quam cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamen si inter omnes bonos habitaret, non diceret quod superius commemoravi: Foris pugnae, intus timores; nec diceret eum de sanctitate et fide Timothei loqueretur: Neminem habeo qui germane de vobis sollicitus sit; omnes enim sua querunt, non quae sunt Christi; aut melior quam cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim boni perdidit et furem Judam toleraverunt; aut melior sit postremo quam celum unde angelus ceciderunt. Subdit deinde experimentum notabile. «Simplificiter autem fateor charitatem vestrae coram Domino Deo nostro, qui testis est super annam meam, ex quo Deo servare cepti, quomodo difficile sum expertus meliores quam qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus peiores quam qui in monasteriis ceciderunt; ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum: Justus justior fiat, et sordidus sordescat adhuc. Quapropter etsi contristo-

Tropo-  
gica, is  
collectio  
honoris  
est sana  
Judis.

mur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amaream, qua oculi vestri offenduntur, terocularia detestari, unde apotheca Dominice fructu olei luminosior implentur. »

18. ER MI QUIDEM POSSEDI AGRUM. — Judas proprie non possedit agrum figuli, quia retulit pretium, et abiens se suspendit; sed eo sacerdotes emerunt agrum in sepulturam peregrinorum: dicitur tamen eum possedisse figurate, quia scilicet possedit pretium, quo postea emptus fuit ager. Quia ergo ager hic comparatus fuit pecunia Judae, hinc Judas dicitur eum possedisse per cactachresin. Jure enim quod meo aere emptum est, hoc meum censetur. Unde S. Gregorius, lib. I Moral., cap. ix: « Possedit, inquit, id est possidere fecit. » Et Graece ἐκράτησε, quod Tigurina verit paravit: (Ecumenius et Vatablus, acquisivit, per empionem sacerdotum. Alter Rabanus, possedit, quia scilicet in eo sepultus est Judas. Sed hoc incertum est, nec satisfact: sepultus enim non possidet totum agrum, vel cimiterium, sed ut summum fossam et loculum suum. Denique Joannes Alba Electorum, cap. xxviii: « Possedit agrum de mercede iniquitatis, » hoc est, inquit, de mercede iniquitatis ejus possessus vel emptus est ager. Sic cap. viii: « In humilitate judicium ejus sublatum est, » id est sublatum est humilitate judicii, sive humili judicio, vel supplicio abjecto, hoc est, morte probrosa et abjectissima. Similis hypallage est *Eccli.* xliv, 18: « Ossa ipsius (Joseph) visitata sunt, et post mortem prophetaverunt, » hoc est, prophetavit Joseph de illis (nempe fratribus suis) post mortem suam visitandis a Deo, et de suis ossibus asportandis in Chanaan mandavit eis. Nam, *Genes.* l, ait: « Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum. » Haec Alba.

DE MERCEDE INIQUITATIS. — Triginta argentei Judae, quibus emptus fuit ager, vocantur « merces iniquitatis, » quia fuerunt merces et pretium proditionis et venditionis Christi, quod fuit summa iniquitas: puta summa simonia, summum sacrilegium, summum parricidium, imo Christicidium et Deicidium. Venditis enim illa fuit Christus ad crucem et mortem.

ET SUSPENSUS CREPUIT MEDIUS. — Pro suspensus Graece est ἀπὸ τοῦ κέντρου, quod Beza et Bullingerus vertunt precipitavit: putant enim Judam non laqueo, sed precipitio vitam finisse. Verum errant: nam *Math.* xxvii, 5, de eo disertè dicitur: « Et abiens laqueo se suspendit, » Graece ἀπὸ τοῦ κέντρου, id est strangulavit: ita Syrus: ἔσπευσε ἀπὸ τοῦ κέντρου, ad verbum verte cum Ecumenio, Erasmo, Vatablo et aliis passim, *preceps*, vel *dejecto capite*, et *in terram prono*, ut legit S. Augustinus, lib. I *Contra Felicem Manichaeum*, cap. iv, qui est gestus suspensorum; aut, *sese precipitans*. Videtur enim Judas ad celeriorum mortem fove in collum insero affixoque arbori, ex ea se precipitasse,

ut valido corporis gravis impulsu et libratione, illico laqueum collo astringeret, itaque se suffocaret.

Addit Theophylactus, in *Math.* xxvii, 5, Judam, laqueo rupto, supervivisse, ac tandem post Christi resurrectionem precipitio vitam finisse. « Scias, inquit Theophylactus, quod laqueum quidem posuit in collum, et cum penderet ab arbore, ea inclinata supervixit, Deo volente ipsum vel in penitentiam conservare, vel in traductionem et confusionem. Dicunt enim quod morbo hydro-pico laboravit, ita quod transire non potuerit orbitam, et deinde pronum cecidisse sive precipitatum, et crepuisse medium, id est esse disruptum, ut in *Actis* dicitur. » Addunt alii alia ex *Papia*, Ecumenio et Euthymio, in *Math.* xxvii, Judam, rupto laqueo, Christo supervivisse, inflato tamen corpore, atque ita cum se movere non posset, curru occurrente fuisse obrutum et disceptum. Verum haec parum consentiant cum S. Luca hic, et cum S. Mattheo, cap. xxvii, 5, dicente: « Abiens laqueo se suspendit: » Graece *strangulavit*, id est suffocavit et occidit se. Nam « suspensus crepuit medius, » ut sequitur. Dico ergo Judam, post relatos argentes, ut ab angustibus conscientiae se liberaret, illico se suspendisse et suspensio se strangulasse, ita ut mole corporis, vel potius vindictae numinis creperit medius: « ut guttur per quod vox proditionis exierat, laqueo nodus necaret, » ait Beda; utque anima sacrilega non per os, quo perfido Christum osculatus fuerat, sed per viscera instar bestiae vel ferae laniata, egrederetur. Simili modo Arius blasphemus, quasi alter Judas cum visceribus et per viscera impiam animam in secessum effudit, inquit Nazianzenus, orat. in S. Athanasium.

Porro Juvenus poeta et Beda in *Levis sanctis*, cap. iv, scribunt Judam se suspendisse e figo, quae suo tempore etiamnum Hierosolymae exstabat. Vulgus inter nos, ait Mariana, ex sambuce suspensus sentit: scilicet Romae canes quotannis ex sambuco suspendebant, eo quod Gallis Senonibus in Capitolium irreptibus non latrasset, inquit Plinius, lib. xxix, cap. iv. Et est ea arbor suspensio apta, tum ob duritiam, uti testatur idem Plinius, lib. xvi, cap. xxxix; tum quia infrugifera, ideoque inter infelices arbores, quae reorum suspensio destinabant, juxta illud Livii, lib. I: « I, hictor, caput obnubito, infelici arbori suspensio. »

Ex casu Judae discimus primo, quantum malum sit avaritia; haec enim fuit causa sceleris et proditionis. Secundo, quam profunde ruant qui in alto gradu consistunt indeque prolabantur, ut de iis dici possit: « Tolluntur in altum, ut lapsu graviores ruant. » Vulgo dicitur: Ex vino dalcissimo, si corrumpatur, fit acidissimum aetium; ex Luciferio diabolus, ex Apostolo apostata, ex monacho heresiarcha, ex Sancto nebulo. Tertio, quantum peccatum sit desperatio. Gravius enim

peccavit Judas desperando, quam Christum tradendo; desperatio enim eum ad laqueum et gehennam adiecit: « Quia ut laqueo respiratio, ita prohibetur desperatione Spiritus Sanctus, » ait S. Augustinus, *hom.* 27, inter 30. Quocirca S. Leo, *serm.* 16 *De Pass.*: « Tu, inquit, impiissime homo, semen Chanaan, et non Juda, nec jam vas electionis, sed filius perditionis et mortis, utiliora tibi diaboli incitamenta credebas, ut facibus inflammatus avaritiae, ad tricinta argenteorum lucrum inardesceres, et quid divitiarum amitteres, non videres. » Et mox: « Unde facinus commercii tui non ideo detestandum est, quia Dominum viliter estimasti, sed quia redemptorem etiam tum, ut tibi parceres, vendidisti. Et merito tibi tua poena est commissa, quia in supplicium tuum nemo teavior potuit inveniri. »

19. HAELEDAMA. — SYRUS *חַכְלֵי דֵמָא chakali dema*, et ita videtur vocatus hic ager; Judae enim post reditum et captivitate non pure hebraice, sed corrupte et semichaldaice, id est, syriace vel syrochaldaice loquebantur. Ita Pagninus, in *Nomin. Hebr.*

HOC EST AGER SANGUINIS. — Haec interpretatio nominis Syri non est addita a S. Petro, ut vult Hugo, utpote Syris syriace loquente, sed a S. Luca, qui Graecis graece scribens, Syram vocem *Haeledama* per Graecam est interpretatus (1). Ager hic vocabatur primo, *figuli*; quia ex ejus argilla figuli vasa argulina formabant. Secundo, *ager Judae*, quia pecunia Judae comparatur, ut dixi vers. 18. Tertio, *sanguinis*: quia pretio sanguinis Christi emptus, idque Dei consilio, ut cum ipsi eum scelus ac empione in speciem pia obruere et sepelire vellent, ipse ager jure esset homicidii, imo Christicidii eorum monumentum; ut, quoties agrum sanguinis nominarent, lites sanguinis Christi a se occisi recordarentur, ait S. Chrysostomus, scirentque hunc sanguinem non alio, quam suo sanguine expiandum, uti factum a Tito et Romanis.

20. SCRIPTUM EST ENIM (Psalm. lxxviii, 26): FIAT COMMEMORATIO FORUM DESERTA. — *q. d.* impia parricidarum imo Christicidarum civitas, puta Jerusalem, in qua ipsi secure quasi inexpugnabiles commorantur, capiatur, succedatur et desoletur a Tito et Romanis. Idem praedixit eis Christus ingemiscens et lacrymans: « Ecce relinquetur

(1) Non tantum verba, hoc est *ager sanguinis*, sed totum hunc vers. 19 pro Lucae additamento habendum esse ait Kunoellus: quaerens enim Petrus Apostolis dixisset, Judae triste fatum omnibus Hierosolymitanis innotuisse? Imo vers. 18 quoque paradosiam non Petri, sed Lucae quidem esse voluit. « Lucas, ait Heinrichus ad h. l., in Evangelio de morte Judae nil memoraverat, adeoque moneretur de ea erat Theophilus, qui aliter non perspexisset, quem in finem haec locutus sit, atque Apostolum suffecerit Petrus. Jam autem perspicuum fit, quorodo V. T. locus, jam vers. 16 a Petro ammutatus, vers. 20 demum proferatur, quod alias contra morem 1845 feret. »

vobis domus vestra deserta, » *Matth.* xxiii, 3.

ET EPISCOPATUM EJUS ACCIPIAT ALTER. — Combinatio hic S. Petrus duos versus diversorum psal-morum. Prior enim habetur *Psal.* lxxviii, 26; hic vero legitur *Psal.* cviii, 8. Pro episcopatum hebr. est *בְּקִדְוֹתוֹ pekaduto*, id est praefecturam, regimen et principatum ejus, puta apostolatuum Judae, « accipiat alter, » scilicet Matthias. Nota: toto *Psal.* cviii, David dura imprecatur Judae proditori, et Judeis in typo et persona Boog proditoris sui apud Saulem, ut docent Bideam S. Augustinus et Theodoretus. Quocirca plenus est minis et maledictis, adeoque nonnulli numerant tot maledictiones, quot argentes acceperat Judas, nimirum triginta. *Primo* est, vers. 6: « Constitue super eum peccatorem, » quasi impium judicem et tyrannum ei perfice, qui acrius eum judicet et puniat. *Secunda*: « Et diabolus stes a dextris ejus, » *q. d.* Diabolus, id est calumniator ei astet, ut eum apud judicem criminetur, et mortis reum peragat. Rursum, in judicio divino proprie diabolus in eum potestatem accipiat, cum accuset, tenet, praecipit, exagitet, et ad restim adigat. Sic in Judam ingressus est Satan, *Joan.* xiii, « Diabolus, » ait S. Augustinus in *Psal.* cviii, stetit a dextris Judae, cum avaritiam propositu sapientiae, pecuniam salutis suae, ut Christum proderet; et sic noluit possideri a Christo, sed a diabolo. *Tertia*: « Cum judicatur exeat condemnatus ad mortem praesentem et aeternam. *Quarta*: « Et oratio ejus fiat in peccatum, » id est in offensam, *q. d.* Oratio hominis tam impii, jam quasi condemnati et desperandi, orantis pro remissione, non tam culpa quam poena, magis offendat et exasperet judicem, tum hominem, tum Deum. Ita Theodoretus Chaldaicum vertit, *oratio ejus sit in condemnationem*. » Quid boni expectandum illi cui nihil superest nisi oratio, quae et vertitur in tormentum, imo in peccatum? *Quinta*: « Fiant dies ejus pauci. » Ita paucis horis proditioni suae supervit Judas, illicoque se suspendit. *Sexta*: « Et episcopatum ejus accipiat alter. » Vide, et computa a liquidis.

*Episcopus*, graece idem est quod *ἐπίσκοπος*, id est *inspector*, *superintendens*, *custos*, *speculator*, *qui aliquid rei intendit et investigat quasi Praefectus*: Episcopi enim munus est, *ἐπιθεωρεῖν*, id est, *intendere rei sibi commissae*. Unde, II *Es.* xi, 22, Azzi vocatur « Episcopus, » id est inspector et praefectus « Levitarum. » Et Cicero fuit Episcopus orae Campaniae; sic enim ait, lib. vii, *epist. ad Atticum*: « Vult enim me Pompeius esse, quum tota haec Campaniae sit maritima ora habeat Episcopum, ad quem delictos et negotii summa referatur. » Et Arcadius Imperator, *Digest.* *De Muner. et Honor.* « I, inquit, proprie dicuntur Episcopi, qui praesunt panti et caeteris venalibus rebus. »

21. QUI NOBISCUM SUNT CONGREGATI. — Pagninus et Tigurina, *conversati*.

judas an precipitavit, an laqueo?

Mori. 1845.

IN OMNI TEMPORÉ QUO INTRAVIT ET EXIIT INTER NOS DOMINUS JESUS, — id est quo inter nos versatus est; est hebraismus: *ingredi* enim et *egredi* hebraeis significat totam vitam seriem et conversationem, puta omnes actiones, sermones, gestus et gesta. *Secundo*, ingredi et egredi coram cæta vel populo, est ei preëssio, cum docere et regere. Ducis enim est egredi ante populum, instar pastoris ducentis oves; sic Moses ait, *Deuter.* xxxi, 2: « Non possum ultra egredi et ingredi, » id est ducere et gubernare populum. Et Salomon, II *Paral.* i, 40: « Da, inquit, mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar et egrediar coram populo tuo; » quod explicans subdit: « Quis enim potest hunc populum tuum digne, qui tam grandis est, judicare? » Ingredi ergo et egredi idem est quod judicare et regere populum.

22. INCIPENS A BAPTISMATE JOANNIS. — Inde enim cepit Evangelium et gesta Christi. Joannes enim in suo baptismate omnibus annuntiabat et demonstrabat Christum dicens: « Ecce agnus Dei, ecco qui tollit peccatum mundi, » *Joan.* i, 29; ideoque Christus ab eo baptizari voluit, indeque ordiri suam predicationem.

TESTEM RESURRECTIONIS EIUS. — Apostolus ergo idem est quod testis resurrectionis Christi, ac consequenter ceterorum mysteriorum et gestorum ejus, quæ in resurrectione, quasi in suo fine et scopo terminantur et concluduntur. Ideo enim natus, passus, mortuus est Christus, ut resurgeret, statque resurrectione peccatum et mortem aboleret, neque ab his resuscitaretur, juxta illud *Rom.* iv, 25: « Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. » Vide ibi dicta. Primitus enim hic articulus resurrectionis creditur erat difficillimus: unde eum maxime inculcabant Apostoli, eoque persuaso facile ceteros persuadebant. Unde S. Petrus vult eligi talem, qui omnium actuum Christi a baptismate Joannis usque ad ascensionem in cælum, sit conscius, eorumque æque ac resurrectionis possit esse testis, ut testetur et dicat: « Ecce qui edebat, qui bibebat, qui crucifixus est, idem ille resurrexit, » ait S. Chrysostomus.

23. ET STATUERUNT. — Apostoli ceterique fideles communi consensu nominarunt et toto numero duos excellentiores in fide, virtute rerumque Christi cognitione; eos deinde seorsim statuerunt quasi Apostolatus candidatos, ut super utrumque jacerent sortem, quæ Apostolum designaret. Hæc omnia facta sunt dirigente S. Petro, qui totius hujus operis fuit choragus. Unde S. Augustinus, lib. 4 *De Actis cum Felice Manichæo*, cap. iv, pro statuerunt legit statuit, scilicet Petrus cum Apostolis et per Apostolos. Porro uterque fuit e numero 72 discipulorum, inquit ex Clemente Alexandrino Beda.

JOSEPH. — Hic Joseph videtur fuisse frater Jacobi Minoris et Judæ Apostolorum, ac filius Al-

phai et Mariæ, ideoque consanguineus Christi. Unde inter matronas astantes Christo crucifixo, nominatur hæc a Maria Jacobi et Joseph mater, » *Matth.* xxvii, 56. Hic Joseph postea creatus est Episcopus Eleutheropolis in Palestina, ait Dorotheus in *Synopsi*; inter Sanctos relatius legitur in *Martyrologio Romano*, die 20 Julii, hæc verbis: « Eodem die natalis B. Joseph, qui cognominatus est Justus, quem Apostoli cum B. Matthia statuerunt ut locum Apostolatus Judæ proditoris impleret; sed cum sors cecidisset super Matthiam, ipse nihilominus predicationis et sanctitatis officio inserviens, multaque pro fide Christi a Judæis persecutionem sustinens, in Judea victorioso fine quævit; de quo etiam refertur quod venenum biberit, et nihil ex hoc tris<sup>3</sup> propter Domini fidem pertulerit. » Ejusdem meminit S. Dionysius, cap. xi, dicens: « Ipsa divina pax et tranquillitas quam S. Justus (Joseph enim cognominatus est Justus) silentium appellat. »

QUI VOCABATUR BARBABA. — *Barbaba* idem est quod filius Sabæ, sicut *Barabbas* idem est quod filius Abbe; *Bartimeus* idem est quod filius Timæi, *Barjona* idem est quod filius Jonæ, vel Joannis: pater enim S. Petri vocabatur Joannes, et per crasin Jonas. An idem dicendum sit de hoc Barbaba, quod scilicet pater ejus vocatus vel cognominatus sit Sabas, incertum est. Potesit enim Sabas accipi ut appellativum, non ut proprium, significans vel juramentum, vel saturitatem, vel reversionem, ut *Barabæ* idem sit quod filius juramenti (perinde ac *Barabæ* idem est quod puteus juramenti, *Genes.* xxi, 31), vel saturitatis, vel reversionis, vel conversionis: ita S. Hieronymus et Pagninus, in *Nomin. Hebr.* Alius est hic Barbaba a Barnaba consobrinus S. Pauli, qui pariter vocatus est Joseph, *Act.* iv, 36.

QUI COGNOMINATUS EST JUSTUS, — ab insigni ejus justitia et sanctitate, æque ac ejus frater Iacobus ab eadem cognominatus est *justus et frater Domini*. *Justus* enim non flebimus, ut Beda alique putant, sed Latinum est nomen, estque proprium vel nomen, vel cognomen, sicut hodie nulli nomen habuit *Justus*; quocirca Græce vocatur pariter *ἴστος*. Sic multas voces Latinas Evangelistæ Græce scribentes, usurpant quasi Græcas. Tales sunt *prætorium*, *flagellum*, *colonia*, *legio*, *sudarium*, *census*.

Vide hic, ut ad prelaturas non semper aptiores sint justus et sanctus. Aptior enim est qui habet talentum regendi et gubernandi, quod magis in prudentia et gratia, quam in sanctitate consistit, ut dicebat S. Theresia, quæ proinde Superiores eligi volebat prudentes potius et discretos, quam sanctos, si aliter hunc deesse.

Nulli censent hunc Joseph fuisse fratrem S. Jacobi Minoris, Simonis et Judæ: hos enim quatuor fuisse fratres insinuat S. Mattheus, cap. xiii, vers. 35; ac proinde noluisse Christum ut in eum sors caderet, tum ne tot cognatos suos videretur ex-

ternis præferre; tum, ne quatuor fratres simul essent in collegio duodecim Apostolorum: perinde ac Canones cavent ne in eadem Ecclesia pater et filius simul beneficium oblineant; et plura Capitula in eum Canoniceorum cætum nolunt admittere plures fratres, ne si inter se conspirant cæterisque dominari velint, itaque factiones et schismata concitent.

MATTHIAM. — *Matthias* hebraice idem est quod *מַתְיָאֵה* *matthan ja*, id est *donum Dei*, vel *donatus a Deo*. Unde Beda censet nomen ejus fuisse omen quod donandum esset apostolatu. Hinc idem pene est nomen Matthias, quod Matthanias et Nathinæus: imo Pagninus Matthiam non aliter quam Matthamach nuncupat. Idem est nomen geminata littera than Matthanias, qui fuit pater Judæ, Jonathæ et Simonis Machabeorum, idemque sonat quod *donum Domini*, vel *interfectio Domini*; interfectum enim ipse decem Antiochi ex zelo. Sans Matthanias in zelo similis, uno superior fuit Matthias. Addit Beda et alii, *Matthias* hebr. idem esse quod *parvus Dei*, quod Apostolorum fuerit ultimus, quodque merito humilitatis evectus sit ad apostolatum, juxta illud Christi, *Matth.* cap. xi, vers. 25: « Confiteor tibi Pater, Domine cæli et terre, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. » Verum non video unde *Matthias* idem sit quod *parvus Dei*, nisi dicas per commutationem litteræ m cum p (eo quod utraque sit labialis) *Matthias* idem esse quod *Pethias*; *pethi* enim hebr. significat *parvulum*; vel ebr. *Matthias* conflatum esse ex *מַתְיָאֵה* *mat than attæ ja*, id est *quid tu, Deus?* Quid tu, Domine, quid ego? tu abyssus entis omnisque homi, ego abyssus nihil omnisque mali. Sic *Michael* idem est quod *quis ut Deus?* Clemens Alexandrinus, lib. IV *Strom.*, censet Matthiam fuisse Zachæum, qui ex arbore sycomoro a Christo vocatus sit factusque e 72 discipulis, ac postea ab Apostolis Judæ suffectus creatusque Apostolus, dicitur sit Matthias. Verum cum Zachæus fuerit princeps publicanorum, ut patet *Luc.* xix, 2, multi censent eum fuisse Gentilem: Judæis enim infame erat hoc nomen et officium; Christi autem Apostoli omnes Judæi fuerunt, nulli Gentiles. Ita censet Tertullianus, lib. IV *Contra Marc.*, xxxvii, qui assentiri videtur S. Cyprianus, epist. 63 ad *Cæciliam*; S. Ambrosius et Beda in cap. xix *Lucæ*. Sed hæc rationem confutat S. Hieronymus, epist. 148, ex eo quod S. Mattheus fuerit publicanus, et tamen Judæus, ideoque Apostolus: rursum Judæus fuit publicanus, qui cum pharisæo oraturus ascendit in templum, *Luc.* xviii, 10. Quocirca Zachæum fuisse Judæum censent Euthymius, Lyranus, Cajetanus, Montanus, Jansenius, Salmeron et Barradius, in *Lucæ* cap. xix, tum quia ibidem, vers. 9, vocatur « filius Abrahæ; » tum quia dicit Christo: « Si quid aliquid defraudavi, reddo quadruplum, » quod Judæis præceptum erat *Exod.* xxii, 4, non Gentilibus. Magis obstat,

An fuerit Zachæus?

quod S. Clemens, lib. I et III *recogn.*, in fine, asserat Zachæum a S. Petro ordinatum Episcopum Cæsareæ Palestinæ; quod si verum est, liquet eum non fuisse Apostolum: sed de libri *Recognit.* auctore et fide multi dubitant. Solebat gloriori Carolus V, quod, natus festo S. Matthei, sortem imperii, felicitatis et victoriarum oblinisset.

24. ET ORANTES DIXERUNT. — Docent Apostoli orationem communem et publicam præmittendam electioni Pastoris et Episcopi, ut dignissimum Deus concedat; ab eo enim pendet salus vel perditio gregis. Sic Christus designaturus Apostolos pernoctavit in oratione, *Lucæ*, vi, 12. Sic Concilium Tridentinum, sess. xxiv, cap. t, jubet ut, Episcopatu vacante, indicantur per totam dioccesim publicæ preces pro electione boni Pastoris.

QUI CORDA NOSTRI OMNIBUS. — Græci unica voce significantes Deum vocant invocantque, *Κύριε καρδιῶν*, *Domine cordis insper*, qui scilicet solus cordis, id est mentis, sinus fundumque inspicit et perspicit, qui ejus latebras omnes scrutaris, qui pervides liberas et arcanas cujusque mentis cogitationes, consilia, desideria, intentiones etiam ipsi menti sepe velatas, fucatas et incognitas; ac proinde optime nosti, quis ad hoc apostolatus officium aptissimus sit. Homines enim in eligendo sæpe falluntur, quia exteriora tantum respiciunt, corda vero videre nequeunt, in quibus sæpe multa latent, quæ hominem pastoratu et officio maxime dignum vel indignum efficiunt: Deus ergo solus est *καρδιωγράφος*, non homo, non angelus.

OSTENDE QUEM ELEGERIS. — Videntur hi duo, Joseph et Matthias, dotibus fuisse quasi pares, inquit Glossa; aut se habuisse ut excedens et excessum, ut, licet unus in uno superaret alium, tamen in altero ab eodem superaretur, ut proinde Apostoli nescierint uter alteri præferendus esset; ideoque Deum invocant, ut is aptiorem designaret. Sciabam enim se, utpote Ecclesiam novellam Christi, ipsi cordi et cura esse, ipsamque in re tanti momenti adfore; ac sicut olim undecim Apostolos elegerat, ita et nunc duodecim demonstraturum. Hanc fiduciam sibi ab eo aspirari sentiebant, ideoque fidenter orant, non dubii quin voti sint futuri compotes, et id quod orant impetraturi.

25. ACCIPERE LOCUM. — Græce *καίρειν*, id est *sortem*, de qua vers. 17.

DE QUO PRÆVARICATUS EST JUDAS. — Pagninus et Tigurina vertunt, ut *prævaricationem* (puta proditorem, desperationem et sui strangulationem) excidit Judas. Et metalepsis. Græce *εἰς τὴν πέτραν*, quod aliqui vertunt, *ex quo prævaricavit*, ut *πέτρα* pro *περίβραχίον*, et *περίβραχίον* pro *περίβραχίον*, id est *digressio, alteratio*, ponatur. Est enim vocatio nostra et status quasi via et stadium, in quo recta decurrimus ad metam, ut brevium

caelestis glorie nanciscamur: a quo aberrant, qui in avia tendunt, alioque flectunt curvantque cursum.

UT ABIRET IN LOCUM SUUM, — se dignum, puta in laqueum quem sibi nexuit, ait Oecumenius; aut, in infernum (1); quia haecenus occupaverat locum alienum, et ex propriis demeritis damnationis locum suum efficit, inquit Cajetanus. Subtiliter S. Bernardus in Psalm. xc, serm. 8: « In locum suum, id est, inquit, ut suspensus in aere creparet aëriarum collega potestatum; utpote quem veri Dei et veri pariter hominis, qui de coelo venisset operaturus salutem in medio terrae, hujus inquam proditorem, nec caelum reciperet, nec terra sustineret, juxta illud: Si non in caelis, sles ubicunque velis. »

Eratne ergo Judas in loco suo, cum erat in apostolatu? Nequaquam: nam, ut ait Cajetanus, « abiit in locum suum, quia haecenus occupaverat alienum apostolatus et ministerii locum. » Quamvis enim apostolatu insignis videretur, revera apostolatum non habebat, quia illo, ut par erat, non utebatur. Ita plane et pastores, qui suis ovibus regendis non attendunt, nihil minus habent, quam dignitatem pastorem, de qua ipsi sua se incuria ac socordia turbant. Quare D. Bernardus, serm. ad pastores in synodo congregatos, in iher Davidicum: Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos, Psalm. lxxv, vers. 6, sic pastores alloquitur: « Et vos, ait, confusi estis in actibus vestris: non honorati, sed onerati dignitatibus vestris, quoniam Deus sprevit vos. » Quae moraliter dicta accipe: nam certum est ad litteram Judam verum habuisse apostolatum, et impios pastores verum habuisse pastorum.

20. ET DEDERUNT SORTES EIS. — Syrus, et conjecerunt sortes; Pagninus, et dederunt sortes eorum; Tigurina, et miserunt sortes eorum; Graece enim est *αὐτοῖς*, id est eorum in genitivo, non eis in dativo.

Quaeres primo, quae et quales fuerunt haec sortes? Respondet: Aliqui, ut Gagneius, censent fuisse scrutinium suffragiorum. Accedunt nostri Salmemon et Sanchez, qui censent Apostolos orasse ut Deus illuminaret mentes eorum, ac declararet cui eos vellet suum dare suffragium, et hoc vocare sortem. Probant ex eo quod pro « annumeratus est, » Graece sit *αριθμητικός*, id est communibus calculis cooptatus est. Verum sic non fuisset sors et sortitio, sed electio: nec sors cecidisset super

Sors  
Matthias  
Matthias  
Primo  
Matthias

(1) Valde torsunt hunc locum multi bodierni interpretes, quorum opiniones videre est in *Kynectii* Commentariis, ad h. l. Communior tamen retinenda est interpretatio: in *locum suum*, id est, proprium, qui ipsi conveniebat, scilicet per euphemismum, *Gethsemanem*, damnationum locum. Haec loquendi ratione passim utuntur scriptores ecclesiastici: Ignatius in epist. ad *Magnes*, cap. v: « Quia igitur res finem habent, incumbunt duo simul, mors et vita, et unusquisque in suum locum iturus est; » Clemens Rom., epist. I ad *Corinthios*, de Petro: « Flures labores, ait, perpessus est, atque ita martyrium in debitum gloriae locum ingressus est. »

Matthiam, sed jure suffragiorum crea Apostolos.

Secundo, S. Dionysius, *Ecclesiast. Hierarch.*, can. 5, part. III, quem S. Antoninus, Turianus, Baronius, Sanchez et alii sequuntur, censet fuisse signum quoddam divinum; at quale fuerit, non explicat. « Videtur mihi, inquit Dionysius, Scriptura sortem appellasse divini quiddam et praecipui numeris, per quod ille choro sacratissimo insinuaretur, qui esset divina electione declaratus. » S. Antoninus, I part., tit. 6, cap. II, censet fuisse radium et caelo demissum in Matthiam, sicut radio lucis demonstratus fuit Gregorius Magnus Pontifex et alii nonnulli. Dionysius Carthusianus censet fuisse columbam coelitus delapsam in Matthiam, sicut S. Fabianus illapsu columbae creatus est Pontifex. Alii censent fuisse donum prophetiae, vel sapientiae aspiratum Matthiae.

Si objicias: Quomodo ergo Apostoli dicuntur dedisse eis sortes? Respondeo, hoc sensu, quod Apostoli signum hoc ex instinctu divino profuerint, dicendo: Super quem descendet radium, aut columba et caelo, ille Dei judicio erit Apostolus; tumque Deum orantur, ut ipse has sortes ostenderet et ederet, perinde ac fecit Eliezer, servus Abrahae, querens uxorem Isaac, ac per signum oblationis hydris cognovit et elegit Rebecca, Gen. xxv, 14. Simili modo Gentiles sua oracula et responsa deorum vocabant sortes, quia a diis eorumque sacrificiis, consultore quasi sorte, ac saepe per sortilegia reddebant. Hinc apud Valerium, lib. I, *praecipii sortibus* idem est quod *praecipii oraculis*.

Verum dare aut mittere sortes, non hoc, sed longe aliud significat, ut cuius patet ex communi terminorum significatione et usu. In sorte enim eventus est fortuitus et a casu expectatur, ut si vineat, in quem sors quasi felix alea ceciderit. Dico ergo Apostolos misisse sortes propriae dictas, ut verba sonant, et sortem cecidisse super Matthiam. Porro qua re et modo misse sint haec sortes, incertum est. Nostri Loriginus et Mariana censent nomen Matthiae uni chartae, nomen Joseph alteri fuisse inscriptum, itaque utrumque injectum in urnam, ibique commistum, ut cujus primo educeretur, is esset Apostolus; ac primo educatum esse nomen Matthiae. Scimus varias apud veteres sortiendi fuisse rationes et modos. Nam, *Proverb. xvi, 33*, in sinu coniciebantur chartulae, tesserae, globuli, aut lapilli; apud Homerum, *Iliad. x*, in galeam; apud Plautum in *Casina*, in situlam; apud Cicero-nem, lib. IV in *Verrem*, in hydriam; apud Virgilium, *Aeneid. VI*, in urnam. Quo modo et ratione usi sint Apostoli, incertum est. certum est Deum per eam declarasse Matthiam, tum dirigendo sortem, tum ceciderit in Matthiam, juxta illud *Proverb. xvi, 33*: « Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur; » tum addendo signum

aliquid caeleste, v. g. radium aut quid simile, quo sortem comprobaret, ut censet S. Dionysius et alijam citati. Item S. Augustinus, conc. 2 in *Psal. xxx*, et Origenes, hom. 23 in *Josue*; idque ne Matthias certis Apostolis, qui a Christo ipso electi erant, esset inferior. Id patet ex oratione Apostolorum sorti praevia, qua Deum rogantur ut magis idoneum designaret: non dubium autem quoniam Deus hanc orationem communem Apostolorum et Ecclesiae exaudierit eosque voti compotes fecerit. Quocirca sors haec humana fuit, si sortientes Apostolos species; eadem tamen divina fuit, si calculum quem Deus et adjecit, consideres. Hoc enim ait S. Dionysius, qui utique sortem illam optime norat. Et sic haec tertia sententia jungenda est secunda.

Quaeres secundo, qua conscientia Apostoli rem tantam commiserint sorti, id est casui et fortunae? Respondet primo, aliqui ex Glossa, id eos recte fecisse, eo quod eligendi in dubiis externis essent pares: tum enim sorte res decidi et dirimi potest. Unde S. Augustinus, *epist. 119*, cap. xx, et *epist. 180*, docet sorte decidendum esse, qui sacerdotis persecutionis tempore fidelibus assistere debeant, qui vero fugere. Idem censendum tempore pestis similis necessitatis. Eodem modo sancti Plato, *De Republica*, dialog. 5, sortis equalitate in republica utendum esse ad mulorum offuscas vitandas, ita ut Deum et bonam fortunam in precationibus invocemus, ut ipsi sortem ad id quod justissimum est, dirigant; Deus enim est moderator fortunae, adeoque ipse est fortuna activa et fortunans. Et Plutarchus, in *Moral.*: « Ut in democratia, inquit, cui sorte contigit imperare, eum oportet imperare; sic in vita hominum quod sors dederit, boni consulendum est. »

Secundo, Apostoli secuti sunt exempla S. Scripturae. Sic enim Saul sorte creatus est rex, I *Reg. x, 20*. Sic sorte deprehensus est Achan, *Josue vii, 16*. Sic sorte divisa est terra promissa inter 12 tribus, *Josue xv*, etc. Unde S. Hieronymus in *Josue* cap. 1; S. Augustinus, serm. *De S. Matthia*; S. Chrysostomus et Beda hic, ac S. Thomas I II, *Quest. XCV*, art. 8, censent Apostolos adhuc rudes et inexpertos, id fecisse ex consuetudine Patrum veteris Testamenti, antequam recepissent Spiritum Sanctum, ideoque post eum receptum id non fecisse in electione Diaconorum, cap. vi, perinde ac jam omnis sors in electionibus Pastorum et Ecclesiasticorum est prohibita jure Canonico et patet cap. *Ecclesia*, de sortilegiis, sub finem. Nam jure naturae, divino et humano ad beneficia, praesertim habentia curam animarum annexam, eligendum est dignior, ut sancti Concilium Trulentinum, *sess. 24*, cap. xviii *De Reform.*; idemque docent passim Theologi cum D. Thoma, quos citat et sequitur noster Lessius, lib. II *De Justitia*, cap. xxxiv, dub. 14. Simili modo Romani, Gentiles licet, legem tulerunt, ne quis

sacerdos sorte aut pretio crearetur, uti Dio, lib. II *Hist. Rom.*

Tertio et genuine, Apostoli joecerunt hanc sortem licita, quia id fecerunt ex instinctu divino, quo facile Deus promittebat se suam voluntatem per eam demonstraturum, et magis idoneum designaturum. Ita noster Lessius, lib. II *De Justitia*, cap. xliii, dub. 9, apud quem vide plura de divisione et varietate sortium, quasque ex eis licita sit, quae illicita. Simili enim modo jussit Deus Samuelli dare sortes pro creatione Saulis regis, et Josue pro deprehensione Achan et pro divisione terra sanctae, de quibus paulo ante dixi, et S. Francisco sortito capere sententias S. Scripturae primo in Evangeliiis occurrentes, easque epessere pro regula vitae, uti refert S. Bonaventura.

Præclare S. Augustinus, conc. 2 in *Psal. xxx*, explicans illud: *In manibus tuis sortem mee*: « Sors, ait, res est in dubiis humana divinam indicans voluntatem. » Et mox sortem interpretatur gratiam Dei: « Quia in sorte, inquit, non est electio, sed voluntas Dei. Nam ubi dicitur, iste facit, iste non facit, merita considerantur, et ubi merita considerantur, electio est, non sors. Quando autem Deus nulla merita nostra videt, sorte voluntatis suae salvos nos facit, quia voluit, non quia digni fuimus. Haec est sors. »

ET CECIDIT SORS SUPER MATTHIAM. — Ex hac sorte ab hae ante Matthiam dicitur Clericus. Matthiam fuisse primum Clericum, indeque Clericos originem et nomen accepisse, censet S. Augustinus in *Psal. lxxv*: « Nam et Cleros, inquit, et Clericos hinc appellatos puto, qui sunt in Ecclesiasticis gradibus ordinati, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legitimus ordinatum. Clericus enim dicitur *αὐτοῖς*, id est sorte, quia sorte in sortem Domini asciscitur. » Idem cum S. Augustino sentit Isidorus, lib. II *Etymol.*, cap. II, et S. Antoninus loco paulo ante citato, etsi alii aliud videatur. Sane antiquiorem Clericum Matthiam non legitimus; atque ex hac sententia Clerici nomen coepit cum Apostolis, imo ab Apostolis, primusque clericus fuit Apostolus.

Moraliter: Primo, sorte hac decuit Christus, in electione ad officia ecclesiastica, se nolle haberi rationem consanguinitatis. Nam Joseph consanguineo suo in Apostolatu praefulit Matthiam extraneum. Secundo, quemque vocationem suam a Deo expectare debere eaque esse contentum: sicut Joseph non doluit sibi prelatum Matthiam, nec inde in predicatione Evangelii signis evasit, sed aeque strenue Christo in aliis munitis deservivit, uti superius dixi. Multi enim repulsam passi ab episcopatu vel officio, schisma vel haeresim inxerunt. Ut Tertullianus, Novatus et nostro saeculo Lutherus, apostolatum similesque praesentias et gradus non cadere sub meritum de condigno; Deus enim Matthiam ceterosque Apostolos sorte elegit, non merito.

Simili modo alii heroes a Deo missi ad Ecclesiam vel defensionem, vel reformationem, vel illuminationem, ut S. Augustinus, Hieronymus, Basilius, Chrysostomus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus et similes, sorte, id est gratia Dei, ad hoc electi sunt. Ad hanc tamen gratiam se disponerunt eamque meriti sunt de congruo sua humilitate profunda, agnoscetes se ad tantum opus plane indignos et ineptos esse, seque ad id destinari sorte et dono Dei (quod sonat nomen Matthias, ut dixi). Quocirca S. Franciscus a nullis rogatus, quid haberet gratiæ aut boni, ob quod a Deo ad tantum sanctitatis et auctoritatis fastigium esset exaltatus, ut totum mundum ad se sui que amorem et venerationem traheret: Tu enim, inquit, non es nobilis, non dives, non doctus, non eloquens, non speciosus; qui ergo totus mundus post te currit? Respondit: Idcirco Deus me ad hoc elegit, quia nil habeo in quo gloriari possim, ut ostendat hoc opus non esse hominis, sed Dei.

Hanc ejus humilitatem imitemur eique ingentem zelum gloriæ Dei propagandæ jungamus, et Deus per nos magna efficiat. Ita David tantus factus est Propheta et Psalter, quia sensit et dixit: « In manibus tuis sortem mea, » *Psal.* xxx, 16. Ita de Sanctis in hac vita sprētis et humiliatis, sed in die judicii exaltatis et glorificatis admirabundi dicent impii: « Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperi. Nos insensali vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei et inter Sanctos sors illorum est, » *Sapient.* v, 3. Unde sero penitentes gementesque subjungunt: « Ergo erravimus a via veritatis, » etc. Merito errastis, quia dixistis: « Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranscat luxuria nostra, » etc. « Hæc est pars nostra, et hæc est sors. Opprimamus pauperem justum, » etc., *Sapient.* ii, 9. Ex adverso, « Felix est sterilis, et incoquinata, etc., et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima. Dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima, » *Sapient.* iii, 13. Quocirca monet Ecclesiasticus, xvii, 24: « Cognosce, inquit, justitias et iudicia Dei, et sta in sorte propositionis et orationis altissimi Dei. In partes vadit sæculi sancti cum vivis et dantibus confessionem Deo, » *g. d.* Sta et constanter persevera in sorte tibi proposita, hæc est, in vocatione tua, tum novæ vitæ, tum carni status sancti. Similiter persiste in sorte orationis, ut scilicet crebro Deum ores gratiamque impetres, qua dignè

vocatione tua vivas. Hæc enim est utilissima oratio, si jugiter in rebus omnibus ores: Domine dirige me ea sorte, eo statu, illis viis quibus me prævides sancte victurum, et inoffenso pede recta ad cælum sortemque Beatorum perventurum. « In partes vade, » *g. d.* Per bona opera profice, ut pars sæculi sancti, id est futura gloria cælestis tibi obtingat, adeoque illam hic inchoa Deum laudando ore et opere, cum justis qui adhuc vivunt et dant laudem Deo. In cælis enim perpetua erit laus Dei.

Et ANNUNERATUS EST. — Græce, *ἠγγελλήθη*, id est *communibus calculis cooptatus est, g. d.* Omnes sortem divinam, ac per eam electionem Matthiæ consona voce laudarunt et comprobant. Vatablus verit, *suffragiis additus est ad numerum undecim Apostolorum*; Pagninus, *suffragiis additus est undecim Apostolis*. Unde non recte colligas Matthiæ sortem fuisse suffragia, sed sorte addita fuisse suffragia. Triplici ergo calculo electus est Matthias, *primo sortis, secundo Dei signique divini, tertio Apostolorum sortem Deique calculum collaudantium.*

Adde, *ἠγγελλήθη* per catachresin transferri ad quamlibet electionem, idemque significare quod eligi, accenseri, annumerari, ut verit Noster, sive id fiat suffragiis, sive sorte, sive alia ratione.

Vidi et veneratus sum Treviris reliquias S. Matthiæ in ecclesia cathedrali, cui hi tituli assignantur, quos recenset S. Antoninus loco jam citato: « Fuit in lege Domini doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in solvendis questionibus S. Scripturæ acutus, in consilio prævidus, in sermone expeditus, multorum signorum patrorum, extensis in cælum manibus martyris spiritum Dei reddidit. » Tria axiomata S. Matthiæ recenset Clemens Alexandrinus, *Primum*, lib. ii *Strom.*: « Oportet admirari presentia, » nimirum ut admiremur opera Dei visibilia, et ex illis ad invisibilia ascendamus admirantes et contemplantes in eis Dei majestatem, potentiam, sapientiam, bonitatem. *Secundum*, lib. iii: « Si electo vicinus peccavit, peccavit electus. Nam si se ita gessisset ut jubet verbum vel ratio, ejus vitam ita vicinus esset reaveritus, ut non peccasset. » Ita S. Bernardini adhuc juvenis sanctitatem ejus coevi reverebantur, ut eo presente omnes ad modestiam se componerent dicerentque Tacete, Bernardinus adest. *Tertium*, lib. vii, quod et citat Eusebius, lib. iii *Hist.*, cap. xxix: « Adversus carnem pugandum, et in nullo prorsus voluptati ejus ac libidini concedendum; animam vero alendam sapientiæ pastibus et scientiæ cibis in majus semper augendam, »

Triplici  
tur elec-  
tus Mat-  
thias.

Tria axi-  
mata S.  
Matthiæ.

## CAPUT SECUNDUM

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Tria hic agit Lucas. Primo, a vers. 1 ad 14 describit Spiritus Sancti adventum in Pentecoste, sub specie venti validi et linguarum ignearum. Secundo, a vers. 14 ad 42, enarrat primam concionem S. Petri, qua convertit tria hominum millia. Tertio, a vers. 42 usque ad finem, describit continuas orationes, agnoscens, charitatem et mores sanctos primorum Christianorum.*

1. Et cum compleretur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco; 2. et factus est repente de cælo sonus, tanquam adveniens spiritus vehementis, et replevit domum ubi erant sedentes. 3. Et apparuerunt illis dispersitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum; 4. et repleti sunt Spiritu Sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. 5. Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est. 6. Facta autem hac voce convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. 7. Stupebant autem omnes et mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? 8. Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus? 9. Parthi, et Medi, et Ælamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Ægyptum et partes Libyæ, quæ est circa Cyrenem, et advena Romani. 11. Judæi quoque et Proselyti, Cretes, et Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magna Dei. 12. Stupebant autem omnes, et mirabantur ad invicem dicentes: Quidnam vult hoc esse? 13. Alii autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti. 14. Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam et locutus est eis: Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. 15. Non enim sicut vos astimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diæ tertia; 16. sed hoc est, quod dictum est per prophetam Joel: 17. Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus), effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ; et juvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia videbunt. 18. Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophætabunt; 19. et dabo prodigia in cælo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi. 20. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et manifestus. 21. Et erit: omnis qui cumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. 22. Viri Israelitæ, audite verba hæc: Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis: 23. hæc definito consilio et præsentia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis: 24. Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. 25. David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam a dextris est mihi ne commovear: 26. Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea, in super et caro mea requiescit in spe: 27. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. 28. Notas mihi fecisti vias vitæ; et replebis me jucunditate cum facis tua. 29. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est, et sepultus: et sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. 30. Propheta igitur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere